

Spec. 2. Kalbfussia Mülleri mihi:

Acheniis radii iis disci duplo brevioribus, apicem versus valde attenuatis (rostratis); disci manifeste stipitatis.

Folia obverse lineari - lanceolata, subintegra, aut superne sinu uno alterove longo, plus minusve incisa et hinc quandoque unam pinnarum par habent; pinnae obtusae. Anthodii squamae marginem versus farinaceo - pubescentes.

⊙. Mense Martio anni 1827 species ista ab amiciss. Müller in paludosis maritimis prope Massa Sardiniae lecta et ab Unione itin. sub nomine *Apargiae vernae Salzmänn* communicata est. (v. s. in herbariis celeberr. equitis a Martius et amiciss. A. E. Fürnrohr.)

Observ. Genus hocce dixi in honorem amici Car. Kalbfuss, Stud. Medic., Rheno - Bavari, juvenis acriter studio botanices dediti.

II. *Spitzelia.*

Anthodium ovatum, basi ventricosum, subinde stellatim expansum et subreflexum, polyphyllum: *squamae internae adpressae, aequales, nro. 13, quibus basi accedunt minores, fere totidem.*

Receptaculum convexiusculum, nudum, favoso-reticulatum, stipitibus perbrevibus, quibus insidebant achenia, punctatum.

Achenia difformia:

a.) *Achenia radii* nro. 13, incano - dilute castanea, squamis anthodii internis involuta basi que cum eis concreta, persistentia et tandem cum

squamis decidua, acheniis disci fere duplo longiora, inferne latiora, superne paululum attenuata, robusta, teretia, a lateribus compressa, incurva, convexitate extus spectante, glabra nec tuberculata, nec transversaliter rugosa, sed tantum Sulculis 5 longitudinalibus obsoletis notata, quorum unum medium convexitatis, reliqua latera obtinent, tota vero pilis brevissimis erecto-patentibus dense pubescentia; pappo coronata cum achenio intime concreto, persistente, e fasciculo pilorum circiter 20 constante, simplicium, niveorum, achenio duplo breviorum. Embryo non totum explet achenium.

b.) *Achenia disci cinereo-coerulescentia* (pruina obducta), minuta, superne dilatata, apice basi-que attenuata, a lateribus compressa, externe convexa, interne recta, sulculis 5 longitudinalibus notata, pappo coronata et sub receptaculo pappi (venia sit verbo) in collum angustata.

Observ. Si pruina ab acheniis abstergitur, pariter sunt dilute castaneae. Adsunt quandoque achenia sterilia, quae nunquam sunt pruinosa sed semper dilute castanea.

Pappus plumosus, caducus! niveus, achenio plus triplo longior, constans radiis plumosis circiter 12, quorum duo aliis plerumque paululum sunt breviores, quibusque intermixtae sunt setae simplices, dimidiae radiorum plumosorum longitudinis. Radii ad apicem usque plumosi, nec basi scarioso-dilatati.

(Herba setis uncinatis rigidis obsita, intermixta tomento albedo, a basi per dichotomiam ramosissima, in Aegypto prope Alexandriam crescens.)

Observ. Dixi genus in honorem amiciss. de Spitzel, soc. bot. Ratisb. sodali, viri de re herbaria bene meriti.

Spec. 1. *Spitzelia aegyptiaca mihi* (v. s. in herbario clariss. cons. aul. equ. a Martius, qui eam sub nomine *Picridis pilosae Delile* ab ipso cel. inventore accepit.)

Ich bitte diese Zeilen als einen Vorläufer meiner bald erscheinenden Arbeit, welcher ich Abbildungen beigegeben werde, und in welcher das eben Berührte genauer auseinander gesetzt werden soll, zu betrachten. Die Früchte, nach welchen ich meine Beschreibungen machte, waren vollkommen reif.

Die bis jetzt von mir untersuchten Gattungen unterscheiden sich durch folgende Merkmale:

A. Receptaculum favosum: favi singuli membranula brevi scarioso-ciliatâ circumvallati, pappus plumosus, *persistens!* basi scariosus.

1. *Achenia* omnia pappo plumoso coronata = *Leontodon L.* ex parte.

2. *Achenia* radii scariositate brevi dentata, disci pappo plumoso coronata = *Thrinicia Roth.*

3. *Achenia* radii epapposa (calva), disci pappo plumoso coronata = *Kalbfussia mihi.*

B. Receptaculum nudum, favoso-reticulatum; pappus plumosus, *caducus!* basi non scariosus.